

VI. Demersum ita funditus artificem suaque machinâ seu ædiculâ egressum ad opus aliquod faciendum, eò redire pro arbitrio, quoties necessitas flagitaverit detentum interim sub aquis spiritum mittere, novumque aërem respirando haurire. Et

VII. Cùm pauculus ille intra campanam aër post notabile temporis spatium evadat ineptior ad respirandum, subinde tamen ac facile suppleri ipsum posse è vitreis aut lapideis ampullis ad campanæ sphaeram aëream demissis ibique reſeratis &c.

VIII. Hæc omnia verò ut facilis perciperentur & crederentur promtius, ipsis oculis hoc quicquid est artificii & conaminis sub modicâ mensura constituimus. Assumptus ergò campanæ plûbeæ loco scyphus vitreus pede mutilus, adeoque campanæ formam satis exprimens (*Vid. Fig. II.*) ideò maxime ut per ejus transparentem substantiam oculis usurpare liceret ea omnia quæ de aëre campanæ incluso, & quæ in ipso sub aquis fierent: sus-

Fig. II.



A 2

pen-